Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

ipsis clamaret magnis vocibus. Magnus est deus christianorum quem predi-
cat beatus hymacheras. pro cuius nomine passe sunt virgines beatissime.
Sevastus autem preses magno timore perterritus fugit festinato ad
templum iovis et invenit templum ita obscuratum ut ipse ni-
chil videret. Beatus autem valencianus venit ad domum sancti hymachore
episcopi et nunciavit ei quomodo impiissimus frater suus decollaverat fili-
as suas et neptes. et quomodo iactavit corpora earum sancta de alta tur-
ri magnam. et lacrimabatur. Tunc beatus hymacheras episcopus similiter lac-
rimare cepit et dixit ad beatum valencianum. Eamus et inquiramus corpora sancta.
Erat enim nox. Tunc ceperunt ire et ceteri viri religiosi et venerunt ad
domum beati valenciani que erat iuxta natisse fluvium edifica-
ta ad portam valenciani. et venerunt ad ripam fluminis natisse
que vocatur ripa clemenciana que est ante domum valenciani et ibi
sedebant. Et circa primam vigiliam noctis veniebat per medium flu-
men navicula natisse. et duo viri navigantes in ea splendidi.
Et cum venisset iuxta domum valenciani ad ripam clementis ubi
sedebat beatus hymacheras episcopus cum suis clericis et viris religi-
osis. ibi iunxerunt ipsam naviculam et unus eorum dixit. Sancte hymacho-
ra episcope ecce thesaurus quem queritis. Et nusquam comparuerunt. Tunc sanctus
hymacheras episcopus cum clericis et fidelibus populis venerunt ad naviculam
et invenerunt ibi corpora sanctarum virginum et capita iuxta corpora posita.
Tunc levaverunt corpora sancta cum ymnis et psalmis et venerunt ad domum
valenciani et ibi cum aromatibus condierunt corpora sancta et ibi sepelierunt
in domo eadem in monumentis marmoreis parvulis. Et edificavit
sanctus hymacheras ibi altare deprecante beato valenciano et ipsam
domum ecclesiam consecravit ad honorem sancte et individue trinitatis
et ad honorem sancte et perpetue virginis marie et sanctarum virginum eufe-
mie dorothee tecle et erasme et celebravit ibi missam et mo-
rati sunt ibi usque in diem octavum cum ymnis et laudibus. Tunc beatus hy-
macheras episcopus deprecante beato valenciano sedem beati marci evan-
geliste ibi statuit et suam et ibi morabatur cottidie cum clericis suis.
Et ceperunt viri christiani vocare ipsam domum matrem ecclesiam ubi re-
condite sunt beate virgines. Beatus autem valencianus dedit omnes facultates
suas et predia et servos et ancillas sancto hymachore episcopo. Ipse autem
morabatur ibi cum eo. Tunc sanctus hymacheras episcopus cepit multas ele-
mosinas facere de rebus valenciani et in octavo die baptiza-
vit inter viros et feminas pueros et puellas tam multa. Et cepit
christianorum numerus crescere ita ut tres partes civitatis pene vide-
rentur christianorum esse. Passe sunt autem sanctissime virgines sub nerone im-
peratore et sevasto preside in civitate aquilegia. xiiii. kalendas octobris.

Januarii episcopi et martiris. C. xiii. K. Octob.

In neapoli campanie natale sanctorum Januarii beneventane civita-
tis et diacono suo festo et lectore suo desiderio qui post vincla
et carceres capite sunt cesi in civitate puteolana sub diocleciano
principe et iudice draconcio. Qui cum ducerentur ad mortem
viderunt venientes alios proculum puteolane civitatis diaconem et duo
laici euticen et acucium interrogaverunt quare iusti iuberentur occidi.
Quos iudex ut vidit christianos iussit decollari cum illis. Sic omnes vii
pariter sunt decollati. et tulerunt corpora eorum nocte populi christianorum neapo-
litani ianuarium posuerunt iuxta civitatem mesenates. sosium
eque in basilica puteolani proculum et euticen et acucium iuxta
basilicam sancti stephani. festum et desiderium beneventani collegerunt.

Omnis qui se terrene materie Eodem die Quintiani episcopi.
corporis ferre cognoscit cogitare debet ne in his devol-
vatur que terrena et carnis huius amica esse noscuntur. que iuxta paulum
apostolum manifesta sunt opera carnis. plena inmundicie et iniquitate
pollutumque et fetidum hominem qui ea sectatur fieri reddit. atque ad ex-
tremum fletibus deputant sempiternis. Fructus enim spiritus est. omne quod ideo
pollet ac vivet quod in hoc seculo mortificata carne animam exul-
tare facit. in futuro autem gaudiis donat sempiternis. Unde nos qui
necdum sumus in corpore positi aspicere debemus que deus operatus est in sanctis suis
in quibus tamquam in splendidum candidumque ac levigatum tabernaculum
divisisque virtutum floribus adornatum residens. extensa dextre ma-
iestate dignatus est per eos miseratione parva perficere que petissent. sicut nec
per beatum quincianum de quo sermo futurus est. mentis nobilis generositate
fulgidum iusticie opus plerumque conplevit. Ergo non nos more pecorum
~~eatorum~~ carnis sectatio ad terrena demergat ac deprimat. sed potius
sanctorum exemplis illecti prudenter intelligentes quod deus sunt spiritalis
nos opera ad celestia ac sempiterna sustollat. neque in nobis mens
ab inpudicis actionibus victa luxuriet. sed eternitatis premiis vin-
dicans solum victrix sapientia regnet. Igitur beatissimus quincianus afer
natione et ut quidam ferunt nepos fausti episcopi qui genitricem suam susci-
tasse perhibetur. sanctitate preditus. virtutum dote fulgidus. caritatis ig-
niculo fervidus. castitatis flore precipuus. ad episcopatum rutene eccle-
sie eligitur. expeditur. ordinatur. in quo episcopatu ampliatis adhuc sacerdo-
tibus cum in dies semper opibus cresceret. aucta beati amantii basilica
sanctum corpus in eam transtulit. sed non fuit sancto acceptabile hoc opus. Unde
factum est ut pontifici suo apparens diceret ei. quia ausu temerario in pace
quiescentes visus es amovisse. ecce ego removeam te ab hac urbe
et eris exul in regione aliena. veruntamen non privabis ab honore quo fru-
eris. Unde post multum vero tempus orto inter cives et reprim scandalo gotos
quia tunc in ante dicta urbe morabantur suspicio attigit quod se ve-